

scaturientibus atque defluentibus aquis, ingentibus multis e-
gregiisque fluminibus, Abdua, Ticino, Ollo, Mincio, aliis-
que ad triginta tria in itinere auctus, postquam ducenta ac
quingenta millia passuum confecerit, in mare Adriaticum
influat; tantumque secum sabuli invehat, ut, quacumque sese
explicet, ingentes alluviones terrarum efficiat; ac tunc rapido
cursu Athesi veluti abrepto, usque ad Metamauchum portum
excurreret. His exciti Patres, cunctandum amplius minime
rati, Senatu consulto duodecim legere, qui, situ natura-
que lo-
corum inspecta, de novo conficiendo alveo, quo Padi in se-
ptemtrionem cursus averteretur, alioque transmitteretur, con-
cordes decernerent; ni convenirent, negotium ad Senatum
deferrent. In Senatu cum dissentientibus sententiis certaretur,
neque quidquam statui posset, duodecim alios ex Patribus
mitti placuit, qui cunctis suffragiis decrevere, ut ab Maripe-
trorum mapalibus recta per Aniani vallem, duorum passuum
millium spatio tenderetur; inde per arenæ tumulos via pate-
facta, ad Contarenorum fossam perveniretur, ex qua naturæ
impetu in Fornacium, vel Gauri (quem vocant) sinum in
mare, uti antiquitus contigerat, Padus exoneraretur. Ejusmo-
di decreto, ut Patrum suffragiis confirmaretur, ad Senatum
delato, tres eorum, qui in prioribus duodecim fuerant, ne
lex ferretur, oblitere, Nicolaus Quirinus, Joannes Jacobus
Zannius, Nicolaus Contarenus; iis potissimum nixi: *Inexu-
perabile humanæ industriæ opus esse; immensi irritique sum-
ptus; vicena centena aureorum amplius millia haustum iri;
neque, si perficiatur, inde commodi quidquam oriturum; va-
rios, incertos perampli fluminis cursus nullo ingenio ad certam
redigi formam posse; id & majorum labores, & aliorum Prin-
cipum conatus testari, qui nusquam firma lege fluctuantis ac
rapidissimi amnis fluxum frenare quiverint; alia, ut voti com-
pos Respublica fiat, insistendum esse.* Contra singulari eloquen-
tiæ laude pro decreto Aloysius Georgius verba fecit, qui loco-
rum situm, sumptus, ac reliqua, quæ in summi momenti ne-
gotio pernoscentia erant, probe doctus, multis actionibus in
Senatu egit; quam id opus necessarium, quam utile publicis
ac privatis rationibus foret, ostendit. Itaque frequenti Pa-
trum consensu de Pado avertendo Senatus consultum factum:

ut

Veneto-
rum decre-
tum de Pa-
do alio a-
vertendo.

Aloysius
Georgius
Padi operi-
bus præfici-
tur.

Jumenta
pestifera lue
correcta.